

4^o Theol. 2549/49 Danrhawer

S. No. 487.49

416 254 067 800 15



4 Theol. 2549(49)

leol.

549

59

49

DECANVS

FACULTATIS THEOLOGICÆ
IN ALMA ARGENTORATENSIVM
VNIVERSITATE

JOHAN. CONRA-
DUS DANNHAVVER,

SS. THEOL. DOCT. PROFESSOR,
CONVENT. ECCLES. PRÆSES,

Civibus Academicis S. P.




ARGENTORATI,

Excudebat JOSIAS STÆDEL, Academiae Typographus.
ANNO M. DC. LXI.

22



Vaticinari videtur Ca-
japhas purpurat^o, *Cesar* BARO-
NIUS Card. cum ad ann. 444.
n. 17. scribit *Flagrans cupido no-*
bilitatis avitæ cogit interdum homines delira-
re, idque ib. ostendit exemplo ordinis Car-
melitarum, qui Eliam Thesbiten, in Carme-
lo monte Ascetam, suæ familiæ auctorem &
patriarcham jactitant, habentque suæ vani-
tatis patronos ipsos Romanos Archiflamines
Sixtum IV. & Clementem VIII. negari non po-
test (ait Ludov. Cellotius Parisinus Lojolita,
l. 5. de Hierarch. c. 9. p. 299.) *Eliam, Comite*
Eliseo, sacram illam Carmeli specum habitaf-
se, & Carmelitanos patres dici à pontificibus
Romanis, eorum successione hereditariã te-
nere: quam specum ut paternam hereditatem
incolunt adhuc patres discalceati, antiqui spi-
ritus Eliæ & Eremitica severitatis restaura-
tores



lores) calculū adjecit *Jac. Salianus Annaliū Eccles. Vet. Testamenti conditor celeberrimus ann. Mundi 3124. 3127. 3139. & qui hunc sequitur, suspēsō licet pede, Henricus Spondanus Apamiarū in Galliā Narbonensi Episcopus ad ann. M. 3139. Furit quasi, nec solū delirat Thomas Aquinas, à S. Joseph Carmelita excalceatus in dissert. hist. Theologicā, in quā Patriarchatum celeberrimi ordinis Carmelitarum sanctissimo Prophetæ Eliæ vindicatum ivit; ac Baronium ita laniavit, ut Actæonem suum molossi: *præmissā monitione, ut Miriones aliquos compesceret, qui tanta Cardinalis Baronii admiratione capti aut potius rapti sunt, ut nō sine stupore eoꝝ, maximo suscepturi sint, eum, qui Annalistam illum celebrē oscitantia & dormitationis sit insimulaturus: quasi verò homo non fuerit Baronius, ut humani aliquid pati non potuerit: quasi mortalis non fuerit, ut non potuerit quandoqꝫ dormire.* At hic (Baronius) pervigil, ac oculo minimè connivo *hæc talia, inquit l. cit. sicut leviter effinguntur, ita & facile refellun-**

tur, ac aliunde sectæ Carmeliticæ originem derivat ann. 1181. n. 13. Constantior illa videtur assertio, quod ordo religiosorum Carmelitanorum, qui in palæstina in ipso monte carmel fixere sedes, sub eodē Alexandro Romano Pontifice sumserit originem, quoto autē anno eius pontificatus, habetur incertum. Horum autē promotor, propagator, & custos fuit ille, qui fungebatur in oriente legatione Apostolica sedis, Haimericus Patriarcha Antiochenus, qui considerans complures ex occidente qui venerant vitam Eremiticam acturi in terra sancta, hinc inde dispersos, expositos barbarorum incurfibus: collegit eos in unū duxitq; in montem carmelū: Eliæ habitatione egregie olim nobilitatum. Fuere ista principia, ex quibus ut ex parva scaturigine flumen, immensus est secutus cætus religiosorum virorum. Nimirum ut dies vidit, historia prodidit, Alethea detexit, in politiâ quandoque Reges & Principes larvatos; ita & in Ecclesiâ religiosos personatos, qui suæ familiæ stirpem ita sagiunt ut canes venatici ferarum vestigia, quæ tandem

in

in confusum & vento dissipatum, pulveris
terrei aut nivis, chaos resolvuntur: ut quod
asseverare pro certo ac indubio possint, non
liqueat, & tamen splendorem suorum na-
taliū jactant, hocq; ipso delirant.

Pari delirio agitantur, quotquot magni
illi⁹ *Aurelij Augustini* Hipponensis præfulis,
auctoritate, factitate, regulâ abusi, gavisi, cō-
fisiq; in ordinem Augustiniano-Eremeticū
se cooptari sustinent; persuasi Augustinum
fuisse & monachum ipsum & monachismi
certi Auctorem & Restauratorem. Sic
enim post alios prænominatus *Cellotius* l. 5.
Hierarch. c. 9. *Augustinianorum ordinem E-*
remiticum ego sine dubitatione assero à S. Au-
gustino inchoatum, sub eâ semper vixisse regu-
lâ, etiam in Eremito, quæ Augustiniana voca-
tur & est; confirmo insuper S. Augustinum
cum aliis propositi sui sociis Monachum exti-
tisse: & hos proinde monachos, qui Eremitæ
dicuntur, jure optimo tantum patrem tanquã
veros legitimosq; Filios agnoscere. At recla-
mat ejusdem Papæ religionis consecrane-

us *Nicolaus de Maistre* l. 3. instaur. Episcop. princ. c. 1. & seq. hancque opinionem appellat *somnium, commentum, narrationem gratis confictam*. Equidem *Possidius* in ejus vita memorat, eum in paternis agris similem monasticæ vitam peregisse, *Monasterium intra Ecclesiam instituisse, cum Dei servis vivere cœpisse secundum modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam*, sed ita ut in illo monasterio scholastico, alerentur non pigri ventres, frugem consumere nati, sed sacris studiis initiati, sacris muneribus postea impositi: ad Apostolicam regulam (cōmunionis bonorum) non laqueis vœtivis alligati sed in libertate suâ relictî. Qui *volunt*, (*Augustino* hanc sententiam imputat idem *Cellotius*) *habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia sua, maneat ubi volunt & ubi possunt, non eis aufero Clericatum &c.* Erasmi hîc censura non est prætermittenda, quam affixit tomō primo *Augustini*, in regulam ejusdem, Ubi inter alia, *nec ipse Augustinus usquam se monachum vocat, nec suos clericos eo nomine designat, &c. ad summam, obscura sint* (ita denuo ipse *Cellotius* ib. p. 307) *ut verum fatear, huius ordinis tempora, vices, incrementa. Quid enim aliud ab Eremito expectes quam tenebras?* Illi, juxta *Erasmum*, optimo jure dicuntur *Augustinenses*,
qui

qui virtutes Augustini proximè referunt. Igitur, ut verè
 esset Augustinian⁹ ac Augustinianæ fidei consanguineus;
 virtutumq; æmulus, ex Augustini larvati claustrò, hoc est,
 carcere Babylonico exivit, atque cucullum (ut Tertullia-
 nus olim togam) cum pallio mutavit; Augustam, Augu-
 stanam Augustinianam Confessionem (cujus parallali-
 smum olim adornavit summum nostræ Ecclesiæ & Aca-
 demicæ quondam Lumē D. *Joh. Pappus*, p. m; tametsi con-
 tra *Hieronymus Torrēsis*, Jesuita & Professor Dilingensis, in
 Augustinò ad partes papæos trahendò multū æstuarit, sed
 ita infeliciter, ut teste D. *Jacobo Reihingio*, è Lojolaâ ca-
 thedrâ cacodoxâ, ad cathedram Tubingensem orthodo-
 xam olim cœlitus evocato in araneis operis c. 4. p. 34,
*magni nominis Theologos è Jesuitis rigidos censes sit exper-
 tus, quod non pauca, vel non ad mentem Augustini, vel extra
 rem, vel sine robore produxisset*) sincero totoque pectore
 amplexus est, *Vir Nobilis & præcellens* Dn. TIMOTHE-
 US de L ANNOIS natione Burgundus; sorte nascen-
 di vulgari clarior, religione pridem Pontificius; voti
 laqueo monachus Augustinianus; gratiâ, misericordiâ
 præ mille aliis è cœlo consecutus, ut è tenebris tene-
 bricosissimis paulatim eluctaretur, verbique divini lu-
 cernâ usus, eum jam dum semi-Lutheranus ad nos ap-
 pulisset, optimis testimoniis instructus à *Mag. F. Petro
 Anfranconio Anconitano ord. Eremit. Augustini, Vicario
 Generali;* & *Mag. F. Johannes Aloysio Ballardor* Priore Pro-
 vinciali, majoribus indies incrementis auctus; è lectione
 librorum nostratium, & conversatione fideli ac jugi, præ-
 fertim Reverendi plurimum & præclarissimi Viri Dn. M.
 BALTHASARIS BÆBELII, SS. Theol. Candidati
 professi, cuj⁹ dexteritati in scrupis residuis eximēdis, plu-
 rimum se debere gratissimo animo agnoscit; eousq; pro-
 ficeret, ut qui non duntaxat, ad sacram nostram commu-
 nionem, sed & ad palinodiam publicam & solennem ad-
 mittere-

mitteretur, dignus fuerit habitus. Ringantur contra
 stomachentur, à quorum contubernio felicior emigravit
 fratres infelices ac miserabiles: **TIMOTHEUS** in
 noster ex eadem sectâ Augustinianâ, è quâ & magnus Lu-
 therus exiit, proficiat cum Luthero, cum defecisse; capu-
 pridem superstitionibus profundèmersum erigat, cum
 cecidisse; in cœlum suo tempore assurgat beatus, cum in
 tartarum descendisse videbitur. Nostrum est Numin
 primùm immortali pro hâc animâ Draconirufô, ereptâ
 inq; libertatem Christianam vindicatâ gratias refunde-
 re de votas, post ereptâ ac vindicatâ animâ ex intimis vi-
 sceribus gratulari, benefacere, & palinodiâ, quam crasti-
 nâ **OCTAVA MATUTINA**, ipsis Augusti calendis, in
 Auditorio majori est cantaturus, aures præbere confere-
 tas, avidas, benevolas: Denique elogiis insignibus
 extollere Munificentiam *Generosi ac Amplissimi nostr*
Magistratus, quâ oviculam hanc errantem in sinum re-
 cepit, aluit, ornavit? Latantur Angeli in cœlo! collate-
 mur, constantiam precati. Perscriptum Argento-
 rati, & intimatum pridie Calend. Augu-
 sti. Anni M. DC. LXI.

F I N I S.

